Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 353
Quelle:
Copyright:

Prologus alter, qui incipit: *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata* &c. Autor tacetur, niſi is *Aegidius* ſit, aut *Canonicus* paullo ante memoratus. Diſticha illa VIII. quorum initium:

Scire cupis lector quis Codicis iſtius auctor.
Audi quid breuiter dicat ad iſta liber. &c.

Prologus *Petri* metricus ille:

Initium mundi quales ab origine prima &c.

in quo quaedam rectius leguntur, quam in *Leyſeri Hiſt. Poet. med. aevi p.* 701. Prologus *Petri* proſaicus: *Frequens Sodalium meorum petitio* &c. Hexaſtichon illud Summarii inſtar:

Primo facta die duo celum terra leguntur &c.

Et nunc demum *Pentateuchus* ingreditur, qui variis locis Argumenta quaedam hermeneutica ſtilo ſoluto praefixa habet. Sequitur *Joſue, L. Judicum, Ruth, LL. Regum, Tobias, Daniel, Judith, Eſther, Machabaei,* tandem *Recapitulationes veteris teſtamenti* et primum quidem *Verſus ſine A.* &c. Abſunt igitur *Job* et *Cantica.* De *Novo Teſtamento* ſola adeſt *Hiſtoria Evangelica,* quae infit: *Poſt legem veterem reſpira petre* &c. et finit:

Hec loquitur de fine ihesus. libroque matheus
Dat finem. petrus finit et ipſe ſuum.

At, quod ſingulare habet hic *Codex*, eſt *Rhythmus* Stropharum XXXV. a manu aliquantum recentiore inſertus inter utrumque Teſtamentum *fol.* 139. p. 2. qui Salutis humanae Οἰκονομιαν enarrat, ſuo in genere non inconcinnus. Ingreditur is hoc modo:

Viri venerabiles. viri litterati.
Hoſtes iniuſticie. legibus armati.
Veſtre non ſufficio ſarcine mandati.
Nec adire grandia licet parvitati.

Verbi miniſterium mihi credidiſtis.
Quibus eſt ſollepnitas in diebus iſtis.
Erubeſcit facies. animus eſt triſtis.
Factus ſum inſipiens. Vos me coegiſtis. &c.